

No. 19. 1289. 9. Febr.

B. Bruno zu Naumburg ertheilt denen, welche an gewissen Festtagen reuig die Capelle Johannes des Täufers im markgräfl. Schlosse zu Meissen besuchen, bei jedem Besuche 40 Tage Ablass von den ihnen auferlegten Bussen.

Bruno dei gratia Nuenburgensis ecclesiae episcopus etc. Cupientes ut capella sancti Johannis baptistae sita in castro Mynsensi in curia marchionis congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo sancti Johannis baptistae et per octavas eiusdem festi, nec non in decollatione eiusdem sancti Johannis ac in anniversario dedicationis ad eandem capellam causa devotionis conuenerint, omnipotentis dei misericordia nec non beatorum Petri et Pauli apostolorum eius patrociniis confisi quadraginta dies criminalium peccaminum de iniuncta penitentia, si diocesani consensus accesserit, misericorditer relaxamus. In cuius rei certitudinem etc. Datum Grimmis anno domini M^o.CC^o.LXXX^o.IX^o. V^{to} Idus Febr., pont. nostri anno quarto.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des B. Bruno an einem Pergamentstreifen.

No. 20. 1289. 17. März.

Der Probst Leo und der Convent zu St. Afra verkaufen das Haus ihres Glöckners links am Wege nach der Frauenkirche an den Domherrn Thilmann zu freiem Eigenthum.

Nos Leo dei gratia praepositus, Wernherus prior totusque conventus monasterii sanctae Aerae in Misna ordinis sancti Augustini notum facimus universis et praesenti pagina protestamur, quod curiam campanatoris nostri proprietariam sitam iuxta curiam magistri Gotschalci canonici ecclesiae Misnensis a sinistris, ubi itur per vicum ad civitatem versus dominam nostram parochiam civitatis, alienavimus iusto titulo venditionis magistro Thilmanno dicto de Turgowe praeposito Budesinensi pro quinque marcis argenti Misnensi pondere ponderatis — nihil iuris nobis et nostro monasterio reservantes in curia memorata. In cuius rei testimonium praesens privilegium sibi dedimus sigillorum nostrorum appensionibus roboratum. Actum et datum Misnae anno domini millesimo ducentesimo octogesimo nono sexto decimo Kal. Aprilis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Probsts Leo (ein schreitender Löwe) und des Convents, die beide mit demselben Contrasigill (2 gegen einander gekehrte Vögel mit der Umschrift Sigillum Hermanni) versehen sind, an roth-, grün- und gelbseidenen Fäden.